

SPICILEGIUM  
PLANTARUM  
CRYPTOGAMARUM  
SVECICÆ,

---

PRO ARGUMENTO PUBLICÆ DISPUTATIONIS, IN REGIÆ A-  
CADEMIÆ ABOËNSIS AUD. MAJ. VENIA EXPERIENTISSIMÆ  
FACULTATIS MEDICÆ, d. XVIII Dec. h. a. MDCCXCIV, HORIS  
SOLITIS AGENDÆ, PROPOSITUM,

VINDICIBUS

AUCTORE

CAROLO BIRGERO RUTSTRÖM,

PH. & M. D. MED. ADJ. & BOTAN. DEMONSTR.

ET

JOHANNE GUSTAVO HAARTMAN,

STIPENDIARIO HAARTMANNIANO NATIONE AUSTRALI,

---

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS. 1794.

THE  
HARVARD  
UNIVERSITY

LIBRARY

---

OF THE

---

UNIVERSITY

---

OF HARVARD

---

CAMBRIDGE

---

MASSACHUSETTS

---

U.S.A.

---

1900

VIRO  
SUMMÆ IN REGEM FIDEI,  
ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMOQUE  
DOMINO,  
CAROLO ADAMO  
WACHTMEISTER,  
LIBERO BARONI,  
REGNI SVIOGOTHICI OPTIMATI, AD REGINÆ VIDUÆ AU-  
LAM MARESCHALLO SUPREMO, REGIS ANTEHAC EDUCAN-  
DI EPHORO VICARIO, REGIÆ ACADEMIÆ ABOËNSIS CAN-  
CELLARIO, REGIORUM ORDINUM EQUITI ET  
COMMENDATORI

*Salutem maxime submisſe dicit*

CAROLUS BIRGERUS RUTSTRÓM.

*L*evidentia hæc & ſilveſtria dona, quæ ad limina cedis-  
tuæ ſplendidiſſimæ, Patrone ſumme, ſupplex adduco, nutu  
acci-

*accipias favente. Præbuere quondam legenti satis jucunda otiorum oblectamenta: quanto jucundiora præbuisſent, ſi tum ſciveram, ea aliquando prima fore minuscula, quæ, pro ſuaviſſimo poſtea in me collato beneficio, TIBI pie offerenda, tenuis mea habitura eſſet Minerva!*

*Dabam Aboæ die III Decembris Anno MDCCXCIV.*

*Præstat plantas cum non plena certitudine veri discriminis inter censum vectarum stirpium conservare, quam inter varietates relegare disperituras. Exigua enim curiositas est varietatum.*

HALLER. Hist. Stirp. Helv. I. p. 194.

### *Proœmium.*

**P**lantarum Sveciæ cryptogamicarum, non secus ac ceterarum clasium, species, post Ill. LINNÆUM varii variis temporibus investigarunt, quorum pluribus stirpes partim novas, partim antea intra hujus regni fines haud observatas colligere felici sæpe contigit successu, quo factum est, ut Svethica Flora, cui cultum certe inter Europæas simplicissimum parvus & immittis concessit Jupiter, majori in dies florum ornatu lætior enitere cœperit. Inter eos autem, qui de novis divæ venustatibus indagandis, paucisque quibus contenta viget ornamentis commonstrandis, gemmisque minimis in conspectum proferendis admirantium, bene in patria meruerunt, viri, post LINNÆUM patrem, in primis eminent celeberrimi clarissimique CAROLUS LINNÆUS jun. (a), ANDREAS J. RETZIUS (b), OLAVUS SVARTZ (c), FREDERICUS EHRHART (d), PE-

A

TRUS

---

(a) Vid. Ej. Suppl. Plant. Brunsv. 1781. — Ej. Diff. Methodus Musc. Illustr. Upf. 1781.

(b) *Kongl. Sv. Vet. Acad. Handl.* — Ej. Flora Scand. Prodr. Stockh. 1779. — Ej. Observ. Bot. Fasc. Sex. Lipf. 1779 &c.

(c) Ej. Diff. Meth. Muscor. Illustr. supra cit. — *Kongl. Sv. Vet. Ac. Handl.* passim. — *Noua Acta Reg. Soc. Scient. Upf. Vol. IV.*

(d) Ej. *Beiträge zur Naturkunde B. 1-7. Hannover 1787-92.*

plura verba, dummodo idonea sint, majorem necessarie sermoni claritatem inducant. Præterea satius duxi mentionem peculiaris, si adfuerit, plantæ indolis differentię inserere, etiamsi illa, ad discrimen striete formandum posset haberi supervacanea. Specificæ enim plantæ cujusvis differentię duplicem esse dotem existimo, quod scilicet ad mutuam congenerum diagnosin inserviat, & quod contineat principalem rerum cuique plantæ propriarum brevem epitomen, qua perlecta, si qua oriatur de specie dubitatio, uberius postmodum adumbratio, si forte adfuerit, consuli potest.

Descriptiones igitur stirpium dudum quoque cognitarum eorum in gratiam addidi, qui patriæ solum plantarum scrutatores, libris exoticis, in quibus istæ uberius describuntur, carent. Eas autem neque admodum longas, utpote quæ sæpe res, quæ cognosci haud merentur, continere solent, neque tamen eapropter ulla ex parte, ut spero, ob brevitatem suam deficientes concinnavi, nullique præterea me legi accingens, quam prout postulet opusculi finis.

Synonyma allegavi auctorum, aut quorum nomina adoptavi, eademque primum imposita, nisi quæ libro Systemati Naturæ Linnæano inserta fuerint, omnis ceteris homonymis, aut quorum nomenclationem recedere ab illis novi, præsertim ubi illa nominum disensio in nullo ex allegatis loco fuerit indicata.

cata. Cetera, quippe superflua, omisi. Paginae mentionem in non nullis libris citatis, qui mihi scribenti ad manum non fuerunt, praetermittere coactus sum, loco tamen facili negotio inveniundo, cognitis libri & stirpis ex eodem citatae nominibus.

Nomina, ut vocant, trivialia, ubi nulla mihi nota erant, nova, maximeque quam potui idonea proposui, ea tamen mutare cuique, utut libuerit, ex animo concedens.

---

SPICILEGIUM

PLANTARUM CRYPTOGRAMMARUM  
SVECIÆ.

- I. POLYPODIUM *Callipteris*:** frondibus subbipinnatis, pinnis infimis subsexjugis, pinnulis obtusis, duplicato-ferratis, denticulis brevissimis, terminato-fetaceis.

Polypodium *Callipteris*. Ehrh. Phytoph. Dec. VI. 51.

Polypodium cristatum. *Kongl. Sv. Vet. Acad. Handl.*  
Tom. VIII. p. 256. Tab. IX.

Habitat in pascuis sylvaticis Hallandiæ: O. Lidén.  
Circa Upsaliam, alibique: A. Afzelius.

Frons angusta, superne attenuata, inferne subæqualis. Pinnæ breves, acutiusculæ, subpinnatæ, pinnulis utrinque sex, septem, raro octo, rotundato-obtusæ, duplicato-ferratæ, ferraturæ denticulis in fetas molles & subtiles desinentibus. Flores magni, adeo coeuntes, ut totam fere paginam cooperiant. Uberiorem hujus descriptionem qui desiderat, Acta Svecica supra citata evolvat.

Posita, ut supra, hujus differentia specifica, facile distinguitur a Polypodio cristato Retz. Fl. Scand. 1162. cujus definitio ergo sequenti modo laud inepte componi posset: **POLYPODIUM cristatum:**





*tum*: fronde inferne subtripinnata, pinnis multijugis, pinnulis acutis, infimis pinnatifidis, ceteris duplicato-ferratis, denticulis brevibus, terminato fetaceis.

2. LICHEN *corticalis*: leprofus, crusta farinosa, vividicinerea, tuberculis subsesilibus, depressiusculis, ferrugineis.

Habitat in cortice arborum, humidis locis lætatus. Differt. a L. pezizoidi Veb. Spic. Fl. Goett. & L. aurantiaco Fl. Dan, 955. r. quod sit tuberculatus, nec gerat fructificationes prorsus sesfiles.

3. LICHEN *anceps*: leprofus, crusta farinosa, viridi, scutellis sesilibus, junioribus carneis, adultioribus obscure rufis, margine lato, depresso.

Habitat in cortice arborum rarius. O. Lidén.

Crusta farinosa, mucedinem mentiens, læte viridis. Scutellæ crebræ, exiguæ, pallidi & pulcherrimi incarnati coloris, margine crassiusculo, discum vix superante concolore. Ætate obscuriores fiunt rufofuscescentes, margine tamen paulisper pallidior.

Ancipitem dixi partim ob ancipitem scutellarum colorem, partim ob ambiguitatem, an sit varietas Lichenis rufi Nov. Act. Reg. Soc. Ups. Vol. IV. p. 244. cui affinis secundum formam scu-

scutellarum & crustæ, distingvente tamen & hujus & illarum colore.

4. **LICHEN** *demissus*: leprosus, subfoliosus, crusta verrucosa, cinereo-virescente, tuberculis sessilibus, planiusculis, fusco-rufis.

Habitat in uda humo, primo vere.

Crusta pallide cinerea, in viridem vergens, ad ambitum in foliola minutissima elevata. Tubercula fere plana, medio non nihil elevata, margine tamen nulla omnino corona ornato, sessilis adeo ut crustam vix superent.

Ob demissum habitationis locum, nec non tubercula depressa, nomen huic demissi dedi.

5. **LICHEN** *angulosus*: leprosus albido-glaucus, crusta fere nulla, scutellis planiusculis, medio subelevatis, dense congestis, subangulatis, disco subincarnato.

Lichen angulosus. Hoffm. Enum. Lich.

Habitat in saxis et muris Hallandiæ & alibi.

Scutellæ adeo dense congeruntur, ut alia crusta, præter marginem illarum conspici nequeat.

6. **LICHEN** *murorum*: rosaceus, luteus, laciniis adpressis, multifidis, crassiusculis, medio elevatis, glabris, scutellis obscure fulvis, margine exili, luteo.

Li-

Lichen murorum. Hoffm. En. Lich.

Habitat in muris coctilibus.

Folium muris arcte adnatum, quasi striis impresfis in lacinias multifidas divisum videtur, adeoque lateri vel cæmento adhæret, ut ea mittere nullo pacto cogatur.

7. LICHEN *cæsius*: imbricato-rosaceus, multipartitus, laciniis multifidis, planiusculis, linearibus cæsiis, glæbulis elevatis, farinosis, concoloribus.

Lichen cæsius. Hoffm. En. Lich.

Habitat sat frequens in faxis & cortice arborum.

Parvus, raro biunciam latus. Glæbulæ circa medium enascuntur majusculæ, distinctæ, farinosæ. Hinc secundum habitum cum proxime sequenti satis convenit. Differt vero colore & laciniis planiusculis, itemque loco. Multifidum enim solum in petris, ægre ab illis separandum, Cæsium & in petris & arboribus, facilem decerptu, inveni.

8. LICHEN *multifidus*: imbricatus, foliis multifidis, laciniis apice & margine inflexis, linearibus, angustissimis, flavo-viridibus, glæbulis glomeratis, farinosis, concoloribus.

Lichen multifidus. Dickf. Plant. Crypt. Britt. Fasc.

3. c. fig.

B

Ha-

Habitat in petris Hallandiæ fatis vulgaris, nec infrequens Aboæ.

Folia læte viridia seu albido sulphurea, admodum composita divisa, laciniis longis, angustissimis, medio elevatis, ut fere filiformes appareant, circa centrum fuscescunt. Mediæ circiter crustæ glæbulæ innascuntur majusculæ, farinosæ, concolores, sæpe coeuntes. Inferne niger, vix conspicuus hispidus radiculis. In rosulam raro palmarem excrescit, depressus & rupibus adeo arcte adhærens, more crustaceorum, ut quamvis pluvia molitus, vix majora quidem sui specimina separari ab illis patiatur. Scutellas non vidi.

9. **LICHEN** *fuscus*: imbricatus, castaneo-fuscus, multifidus foliis laciniisque angustissimis linearibus, margine deflexo, scutellis margine crenato, concolore, disco atro.

Lichenoides angustifolium, fuscum, scutellis pullis.  
 Dill. Hist. Musc. 175 Tab. XXIV. f. 69.

Lichen fuscus. Hudf. Fl. Angl. 2. 533.

Lichen pullus. Lightf. Fl. Scot. 825.

Habitat in rupibus Hallandiæ borealis.

Rupes late obvestit, in innumeras, angustissimas & densissime imbricatas lacinias divisus, supra fusco-griseas, maculis interdum obscurioribus quasi deustis passim inquinatas, glabras, medio in formam

nam teretem elevatas, marginibus deflexis. Subtus albescens, præsertim extremo margine. Sed interius radiculae creberrimae longiusculae exferuntur, quæ humo infixæ eaque permixtæ & inquinatæ plane atrum colorem præferunt. Scutellæ in superiore pagina erumpunt, margine valde crenulato, disco concavo, atro, opaco, ustilagine quasi contaminato. In umbra raro scutellas profert, in aprico copiosas.

10. LICHEN *tiliaceus*: imbricatus, depressus, crassiusculus, cinereo albidus, nitidus, laciniatus, laciniis rotundatis, lævibus; supra pulvere nigro conspersus, infra ater, hispidus.

Lichen tiliaceus. Hoffm. En. Lich. p. 65. Tab. XII. fig. 1.

Habitat ad lapides & arborum cortices in Hallandia sæpe frequens. Frequentissimus in sepibus saxosis ad diverforium Kerra prope Gothoburgum.

Distinctissimus substantia crassiuscula, albida, nitida, depressa, sinubus lacinarum subrotundatis, limbi ultimo margine emarginato, sinuato. Interiorem partem, rugis rudioribus in bullas elevatam, occupant granula minutissima, e pagina erumpentia, nigra, quo media pars prorsus nigrescit. Lente considerata ejusdem videntur esse indolis ac fruticuli Licheni cumatili (huj. Diss. 12) innati. Scutellatum in Svecia non vidi. Lichen quercinus Wild.

Flor. Berol. Tab. 7. f. 13, qui scutellas gerit badias: nostro quidem perfimilis est, habitu tamen non nihil diverso, eo in primis, quod lacinias magis producat & minutius coruget, quam Tiliaceus, a quo etiam diversum occupat locum, necdum intra Sveciæ fines quantum ego quidem scio, repertus. Magnitudine L. Saxatilis æmulus.

III. **LICHEN** *Acetabulum*: imbricatus, foliis undulatis, rugosis, fusco-viridibus, glabris marginibus erectis, scutellis amplis, cyathi-formibus, disco badio, margine crispo.

**Lichenoides** *Acetabulis* cutaneis & rugosis. Dill. Hist. Musc. 185 Tab. XXIV. f. 79.

**Lichen** *Acetabulum*. Neck. Del. II. p. 5. & ceterorum.

**Habitat** ad truncos antiquarum populorum. In Hallandia & Vestrogothia, circa oppida Kungsbackam, Alingsfosiam & Scaram, haud infrequentem observavi. In Hallandia scutellatum nunquam inveni.

**Folia** late, rotundeque laciniato undulata, fusco-olivacea, substantia tenui & flexili, depresso serpentina, marginibus ascendentibus, supra nitida & rugosa, versus exteriores lacinias lævia. Subtus ad margines glabra, nuda, interius breviter aculeato-hispida, fere ejusdem ac superioris paginæ coloris. Scutellæ amplæ, in pateræ formam elatæ, sæpe ob mutuam angustiam plicatæ, subpedicellatæ, intus

intus læves, badiaë, extus foliis fere concolore, seu aliquantum pallidiorè, extremo margine tuberculis albidis crispato. Magnitudine priorem superat.

12. LICHEN *cumatilis*; coriaceus, repens, glaber, cinereo albidus; sinuatus, intimis sinuum angulis rotundato excisis; scutellis fulvis, fruticulis sparsis, ramosisissimis, fuscis.

Lichenoides subglaucum, cumatile, foliis tenacibus, eleganter laciniatis. Dill. Hist. Musc. p. 197. Tab. XXVI, fig. 99.

Lichen laciniatus. Hudf. Fl. Angl. 2 Ed. p. 544.

Lichen amplissimus. Scop. Fl. Carn. 2. 1393.

Lichen glomuliferus. Lightf. Fl. Scot. p. 853.

Habitat ad radices & truncos antiquarum fagorum, passim, præsertim in Hallandia.

Frons lata, planiuscula, cortici arcte adpresca, subimbricata, coriacea, crassa & rigida, lobata, lobis latis-  
simis, valde sinuatis, sinubus interioribus pulchre rotundatis, instar foliorum vitis; supra glabra, ad interior-  
rem partem maxime rugosa, versus ambitum magis æ-  
qualis, cinereo-alba seu pallide glauca; subtus tomen-  
tosa, extremo margine alba, interius carnei coloris, in-  
time, ubi innumeræ exseruntur radiculæ nigræ, fusca.  
Interiores laciniæ, quippe magis vetustæ, margine  
rumpi solent, crustam farinaceam hepatici coloris, mo-  
re L. Physodis & Glauci, emittentes; postea in fruticulos  
abeuntem erectos, ramosissimos, ramis densissime con-

glomeratos fuscos, in morem *L. pustulati*, sed majores, unde peculiaris nostro oritur facies. Scutellæ rarius in conspectum veniunt, sparsæ, non ita magnæ, fulvæ, seu e fusco rufæ, margine frondi concolori. Substantia interna alba. Ad latitudinem dodrantalem & supra non raro extenditur. Superior pagina lente inspecta instar cutis senilis rugosa & squamosa apparet. Humida colorem induit viridulum. In herbario asservatus hic Lichen, post annum & quod excurrit, colorem exuit cumatilem & ochroleucum induit. Semper dioicum inveni, alterutra scilicet fructificatione ornatum, talem quoque observavit Michelius, qui binas hujus figuras dedit æri insculptas. Dillenius autem testatur se vidisse specimina scutellas & fruticulos simul proferentia.

Vix cum alio quodam confundi potest nisi cum *L. tiliaceo* supra descripto, quo cum perfecte colore convenit. Sed neque hic fruticulos profert, neque tam crassæ substantiæ est. Contra subter ater est & hispidus, supraque, pulvere adpersus nigro, quo alter caret. Ad Lichenem tamen herbaceum Hudsonii, qui læte virescens *Ligtfootio* audit, etiam Sveciæ indigenam (vid. *Cel. Swartz N. Act. Ups. Vol. IV. p. 250*) majore quadam similitudine accedit, qui an vere diversus, ambiguum esse videtur. Noster enim humidus etiam virescit, tumque mollioris est materiæ. Sinus quoque utriusque rotundatos esse observavi.

Cum tot nomina ab Auctoribus dudum huic Licheni imposta sint, videretur, me numerum eorum  
novo



novo augere non debuiffe. Tale autem nullus propofui, fed, ad præceptum Linnæi, antiquum fervavi Dillenianum nomen, ob principatum & fignificationem, dignum certe quod retineatur.

13. LICHEN *mesenteriformis*: umbilicatus, utrinque glaber, fusco-cinereus, fupra plicis elevatis, retiformibus, crispis; tricis (C) atris, vage gyrofis.

Lichen mesenteriformis. Linn. Syft. Veg. XIV. 962.

Habitat in fummis montium Hallandiæ jugis apricis. O. Lindén primus invenit.

Frons umbilicata, sæpiffime simplex, raro palmaris latitudinis, tenuis, fragilis, planiuscula, depressa, margine sæpe inordinate lacero. Substantia intus farinosa, alba. Pagina frondis superior glabra, obscure cinerea, quasi deuffa, obfcurior verfus extrema, verfus interiora plicata, plicis crispis, elevatis, cellulas copiofas interfeptentibus; inferior pallidior, lævis, verfus umbilicum tefracea. Fibrillæ nullæ. Tricæ numeroſæ.

---

(\*) Fruftificationes Lichenum non nullorum, præfertim ex ordine umbilicatorum, a ceteris fruftificationum generibus diverfas, in fpeciem glomeris rugis intricato-gyrofis notati, erumpentes, haud inepte Tricæ appellari poſſe exiſtimaverim. Rem a ceteris diſtinctam ſignificaturo nomine opus erat, nec aptius inveni, parum curans, an idem aliis adoptare placuerit. Voce Sphæræ a Nob. D: no D. Achario in Aft. Holm. l. c. uſurpata, libenter uſus eſſem, niſi ineptum admodum mihi viſum erat dicere ſphæram hemiſphæricam, oblongam, planam, depressam &c.

osæ versus extrema, elevatae, hemisphaericæ, atræ, n gyros inordinatos perplexæ, circa mediam frondem nullæ.

Peculiaris quoque ea nostri indoles est, quod tantum cellissima montium cacumina occupet, ibidemque, ubi cetera omnia vegetabilia, præter lepras aliquas, destruunt venti ac tempestates in his locis depræliantes, solus viget & perdurat, fideliter ac presse se rupi adfixum tenens.

14. **LICHEN** *concolor*: fruticuloso - subfurfuraceus, luteus, scutellis concoloribus.

Lichen concolor. Dickf. Plant. Crypt. Britt.

Habitat minus frequens in faxis.

Medium tenet locum inter crustaceos & fruticulosos. Constat enim fruticulis minutissimis, in crustam dense congestis, versus radicem pallidioribus, superne intense luteis, pæne aurantiacis. Scutellæ, cum margine & disco, foliis concolores.

15. **LICHEN** *madreporoides*: fruticulosus, furculis turbinatis, pustulosis, aphyllis, albidis, apice sæpe apertis, brevissimis, ramis paucissimis, obtusis, brevissimis, tuberculis terminalibus, carneis.

Coralloides minimum, fragile, madreporæ instar nascens. Dill. Hist. Musc. 107. Tab. XVI. fig. 28.

Lichen papillaria. Ehrh. Beytr. 2. 105.

Habitat in terra & montium rimis.

Hu-

Humillimus est, quasi medius inter Fragilem & Coralloidem; surculi subsimplices, sensim ampliantur, ad apicem vero contrahuntur in formam urceoli, ibique hiant sæpe, madreporæ speciem referentes. Integri in apice rufescunt, ætateque proveciore ibi fusci evadunt, neque alio modo tubercula provenisse vidi.

Nomen a Cl. Ehrhart impositum libenter retinuissem, nisi legem inter botanicos sanctam esse existimarem, nomen a priore botanico datum fervare, vel ex eo triviale, si id fieri potest, componere.

16. TREMELLA *arborea*: lentiformis, picea, sessilis, peltata; subtus opaca, atra, dense granulata, supra nitida, tuberculis acutis, raris conspersa.

Tremella arborea nigricans, minus pingvis & fugax.

Dill. Hist. Musc. 54. Tab. X. 15.

Tremella arborea. Hudf. Fl. Anglica.

Habitat ad aridos & dejectos arborum ramos & truncos, tempestate pluvia, præsertim vere & autumnò obvia.

Ad latitudinem semiuncialem & ultra sæpe excrefcit, intermixtis tamen speciminibus parvis, nuper ex rimis corticis erumpentibus. Viget tantum in humida tempestate, in sicca deformatur arida & contracta, pluvia autem nova mox reviviscit, pristinam & genuinam formam recuperans. Adeo hunc morem observat, ut exsiccata & post annum aquæ immisfa antiquam suam ac plenam speciem cito & intra horæ spatium resumat.

In hoc statu trepidat gelatinosa, tumida, rotunda, medio-  
fessili-umbilicata, seu peltata, supra infraque convexa,  
margine compresso subacuto, interdum duplici. Valde  
macerata & emollita e nigro in fusco-griseum colorem  
abit; siccitati autem exposita, colorem nigrum resumit.  
Infra atra et opaca, dense granulata, quasi subvillo-  
sa, pannum mentiens velutinum. Supra nitida, granu-  
lis acutis, quasi aculeis brevissimis confita & velut hi-  
spida. Intus inanis. Substantia admodum elastica est &  
cohæsiva, ita ut sauciata margines mox involvat &  
contrahat.

Synonymon Dillenianum supra citatum a Cels. Ret-  
zio in Prodr. Fl. Scan. & Act. Holm. ibd. cit. pro syno-  
nymo Tremellæ Sagarum proponitur, vix tamen recte,  
cum hanc crispam, subtus irregulariter venosam, dif-  
formem ac virescentem esse referat, qua in re a nostra  
pariter ac a Dilleniana differre videtur.

Tremellæ atræ Ic. Fl. Dan. Tab. 884, subfimilis.  
Hæc vero margine affixa exhibetur ac dicitur esse sub-  
tus nitida & supra tomentosa, quæ omnia aliter in nostra  
obtinent.

17. AGARICUS *cucullatus*: subfessilis, subdimidiatus,  
gyroso-cucullatus, supra lutescens, medio albidus;  
lamellis castaneis.

Agaricus gramineus. Fl. Dan. 832?

Habitat ad antiquas arbores cespitosus: O. Lindén.  
Stipes obconicus, brevissimus, luteo albidus. Pileus in

gyrum cucullatus, marginibus subdeflexis, supra fulvo luteus, glaber, pasta luteo-albida, instar calcis illitæ, ad margines deficiente obductus. Lamellæ undulatæ castaneæ. Substantia luteo-albida. Sapor post breve tempus acerrimus.

Icon Fl. Dan. citata nostrum satis perfecte refert; lamellæ autem in nomenclatore rubræ dicuntur, quamvis in ipsa figura fusco-luteæ pingantur.

18. PEZIZA *urceolata*: urceoliformis, sessilis, albida, extus pilosa, intus glaberrima.

Peziza urceolata. Icon Fl. Dan. Tab. 1017. f. 3.

Habitat in cortice arborum præsertim quercuum.

O. Lindén.

Parva, nec magnitudinem mediocris acus capituli excedit, subventricosa, ventre semiglobofo; extus pilosa pilis densis erectis albidis, marginem paullo angustatum superantibus. Intus concava, lævis, subcarnea. Gregatim, non congestim, provenit, præsertim autumnò.

Tabula Fl. Dan. supra citata satis bonam hujus Pezizæ figuram sistit, adeo ut nullum mihi fuerit dubium, quin eandem repræsentet, quamvis longiuscula non nihil, nec satis villosa depicta sit.

A. Peziza cupulari Fl. Scand. Prodr. differt. quod sit multo minor, nec pateat tantum.

19. PEZIZA *lurida*: globosa, immerse sessilis, extus villosa, utrinque griseo-nigra, ore contracto, albido.

Fun-

Fungoides spadiceum, membranaceum, omnium minimum. Mich. Gen. 207. 29?

Habitat in ligno putrido. O. Lindén.

Præcedente minor. Substantia dura cornea, ligno putrido immerfa, ut vix nisi ore emineat. Intus glabra & lævis, extus dense villosa & fere obscurior. Os in formam sacculi contracti coarctatur, subalbidum. Color reliquus luridus seu obscure cinereus.

20. SPHÆRIA *Thoracella*: crustacea, plano-adglutinata atra, glabra, late serpens.

Habitat in sceletis Sedi Telephii altero anno superstitibus, quorum caules instar picis oblitæ & siccatae obvestit.

Picem densiuscule oblitam & siccataam perfectissime refert, aterrima, glabra, subnitida, arcte, nec ullo modo a cortice divellenda, adhæret, crustacea, fragilis. Oculo armato tenuissime granulata, instar thoracis sive elytri insecti coleoptrati apparet, adeo ut per appositionem granulorum continuam oriri videatur.

Aquæ immissa per plures dies nullo modo solvi aut molliri visa est, ideoque Tremellis minime annumeranda.

---